

Ad contemplandam nunc refractionem radiorum e punctis diametri horizontalis disci solaris profluentium intelligatur planum per illam diametrum et axem conii luminosi LM ductum, quod plano diagrammatis, planum verticale antea consideratum referenti, perpendicularare erit. Quoniam itaque radii omnes in hoc plano in prisma penetrantes sic incidunt, tanquam e puncto L veniant, et vterque extremorum cum medio LM angulum dumtaxat paruum et $= \delta$, comprehendit; E est (vi coroll. problem. II) punctum dispersus radiorum in anteriore prismatis facie refractorum, atque $EM = n \cdot LM$, nec non angulus, quem vteruis extremorum cum medio EN includit, $= \frac{1}{n} \delta$.

Radii omnes hunc in modum refracti sunt in plano super EN ad planum diagrammatis perpendicularari, et perinde in faciem prismatis posticam AC incidunt, ac si ex E manent: quamobrem (per coroll. probl. II) datur punctum dispersus radiorum in plano AC refractorum, idque est H , punctum scilicet concursus radii refracti NT et perpendiculari EK ex puncto E in AC demissi, habeturque $HN = \frac{1}{n} \cdot EN = \frac{1}{n} (EM + MN) = LM + \frac{1}{n} \cdot MN$, et angulus, quem vterque extremorum cum medio radiorum refractorum HT includit, $= n \cdot \frac{1}{n} \delta = \delta$.

Inclinatio igitur radiorum ab extremitatibus diametri horizontalis disci solaris in prisma penetrantium refractione in prismate pariter non mutatur.